

diminutione quantitatis, pro majori raritate vel condensatione, supposita probabiliori sententia, secundum quam phaenomena rarefactionis et condensationis explicantur per mutationem realis voluminis, prout inferius declarabitur. Ergo effectus formalis quantitatis non consistit in radicali extensione partium in ordine ad locum. «Patet consequentia, quia sub eadem quantitate eadem partes coarctantur ad brevius spatium».

Resp. «Hæc obiectio tangit questionem physicam difficultam de modo, quo fit condensatio, quam hic breviter tractare non possumus». Supposita tamen explicatione, quam innuit obiectio, «dicendum est quantitatem quidem extendere substantiam et dare illi corpoream molem, tamen ex se et absolute sumptam, non determinare certum terminum in illa extensione considerata in ordine ad spatium, quod replere potest, sed juxta modum majoris vel minoris condensationis», vel pressionis et caloris, «hujus extensionis terminum definiri (1).

ARTICULUS IV.

Utrum quantitas actu infinita esse queat.

Quo sensu
finitum
et infinitum
dicantur
passiones
quantitatis.

212. Asseruit Philosophus finitum et infinitum esse passiones quantitatis, atque adeo tractationem de infinito ad *naturalem Philosophiam* spectare (2): unde etiam notavit, omnes veteres Philosophos, qui eam scientiam rationaliter tradiderunt, infinitum quoque tractasse. Ne quis autem arbitretur Aristotelem, cum talia scripsit, id statuisse, quod mox eversurus esset, multis excludens infinitæ quantitatis realitatem (3); dici potest cum Scoto (4), aliisque (5), affectionem quantitatis e mente Philosophi esse finitum vel

(1) Suarez, loc. cit. 29.

(2) Vide Arist. (*Physicor.* lib. 3, cap. 4, text. 24, et S. Thom. (ibid. lect. 6 initio), ac ceteros interpretes passim.

(3) Vide Arist. (*Physicor.*, lib. 3, cap. 5, text. 40 seqq.; et *de Cælo* lib. 1, cap. 5 a text. 12 ad 76.

(4) *Metaph.*, lib. 2, quest. 6.

(5) Vide Conimbricenses (*Physicor.*, lib. 3, cap. 4, 5, 6, 7, 8, quest. 1, art. 5 ad 1.^{um}), Rubium (*Physicor.*, lib. 3, cap. 8, tract. 2, quest. 1, n. 74 fin).

infinitum, actu videlicet vel potentia; quantumvis enim plurimi auctores negent possibile esse infinitum actu secundum quantitatem, admittunt tamen communiter omnes infinitum in potentia. Oportet itaque jam, quam in *Ontologia* huc rejeceramus, controversiam circa possibilitatem infinitæ quantitatis pertractare. Verum prius animo recolendæ sunt, quas ibidem explicuimus, divisiones infiniti in *simpliciter* et *secundum quid*, atque in *categorematicum* seu *infinitum in actu* et *syncategorematicum* vel *infinitum in potentia* (1). Sermo enim nobis est de infinito secundum quantitatem, nimirum secundum multitudinem et magnitudinem vel etiam secundum intensionem. Neque etiam dubium est de infinito syncategorematico vel potenciali, quod *indefinitum* quoque vocant; sed tantum de categorematico se actuali. Nam est apud omnes in confesso possibile esse syncategorematicum, quandoquidem quolibet creato potest majus et majus creare Deus, ut constat ex iis, quæ in *Ontologia* disputata sunt (2). Immo vero videtur infinitum syncategorematicum secundum multitudinem de facto dari, vel datum iri in actibus intellectus et voluntatis beatorum, qui per totam æternitatem succedent alii aliis absque ullo fine.

At quod infinitum categorematicum spectat, quamvis una sit vox Philosophorum contra Anaxagoram, Anaximandrum, Xenophontem Colophonium, Seleucum aliosque veteres (3), et recentiores Cartesianos, ac Leibnitzium (4) et Malebranchium (5), infinitum ejusmodi nec dari actu, nec dari naturaliter posse (6); haud tamen leviter jam inde a multis sæculis disputatur, utrum saltem per absolutam Dei potentiam effici queat multitudo vel magnitudo infinita. Affirmant Nominales (7), quibus adhæsere P. Gabriel

Status
questionis
pertractandæ.

Varie
de propositione
controversia
opinionibus.

(1) Vide *Ontolog.*, n. 191.

(2) Vide num. 204, pag. 583, seqq.

(3) Apud Conimbric. (*Physicor.* lib. 3, cap. 4, seqq. quest. 1, art. 3.

(4) Epist. ad Foucher, apud Dutens t. 2, p. 243. Cfr. superioris dicta num. 16.

(5) *Traité de l'infini créé*, pag. 51, et 93.

(6) Vide Benedict. Pereira (*de Communibus* etc. lib. 10, cap. 7 10), Conimbr. (loc. nup. cit.), Rubium (*Physic.* lib. 3, tract. 2, quest. 1), Rhodes (Philos. perip. lib. 2, disp. 3, quest. 3, sect. 3, paragr. 2).

(7) Apud Conimbr. loc. cit. quest. 1. art. 1.

Vazquez (1), Hurtado (2), Arriaga (3), Card. Toletus (4), Peinado (5), Fassolus (6), Oviedo (7), De Benedictis (8), et quidam alii. Negant autem communissime et Thomistæ cum S. Thoma (9), et S. Bonaventura (10), et Scoticæ cum Scoto (11), ac Nostrates cum Eximio Doctore (12), Fonseca (13), Rubio (14), Valentia (15), Molina (16), Benedicto Pererio (17), Conimbricensibus (18), Sylvestro Mauro (19), cæterisque et veteribus et recentioribus, quos omnes recensere necesse non est. Quod vero atinet certitudinis gradum, P. Tilmanus Pesch repugnantiam infiniti tamquam certam omnino progugnat (20), sicut videntur quidam veteres, ac nominatim Mastius (21), propugnasse; at S. Thomas dudum scripserat, *ad hoc non esse demonstratum, quod Deus non possit facere, ut sint infinita actu* (22), aliique multi, quorum mihi quoque magis placet iudicium, doctrinam eandem tamquam probabiliorum duntaxat, non autem ut penitus certam tuerentur (23).

- (1) In 1.^{am} part. disp. 20.
 (2) *Physic.* disp. 13, sect. 2, 3.
 (3) *Physicor.* disput. 13.
 (4) In 1.^{am} part. quest. 7, art. 4.
 (5) *Physic.* lib. 3, disp. 3, sect. 3.
 (6) In 1.^{am} part. quest. 7, art. 3, dub. 12.
 (7) *Physic. Controvers.* 14, punct. 4, et 5.
 (8) *Philos. perip.* vol. 2, lib. 3, quest. 5, cap. 6.
 (9) In 1.^{am} part. quest. 7; *Quodlib.* 9, art. 1; *Quodlib.* 12, art. 2.
 (10) 1.^o dist. 43, quest. 3.
 (11) 2.^o dist. quest. 3.
 (12) *Metaph.* disp. 30, sect. 17.
 (13) *Metaph.* lib. 1, cap. 2, quest. 2, sect. 2.
 (14) *Physic.* lib. 3, tract. 2, quest. 3.
 (15) In 1.^{am} part. disp. 1, quest. 7, punct. 3.
 (16) In 1.^{am} part. quest. 14, art. 5-6, disp. unic.
 (17) *De communibus*, etc. lib. 10, cap. 11.
 (18) *Physic.* loc. cit.
 (19) *Question. philos.* vol. 2, lib. 2, quest. 34.
 (20) *Philos. natur.*, n. 409.
 (21) *Physic.* disp. 10, quest. 3, n. 5.
 (22) *Opusc. de æternit. mundi contra murmurantes*, fin.
 (23) Vide v. g. Conimbricens. (loc. cit. quest. 2, art. 3), Rubium (loc. cit. n. 86), Pererium (loc. cit. cap. 11), Cardin. Aguirre (*Physic.* disp. 21, sect. 1, num. 5), Rhodes (*Philos. perip.* lib. 2, disp. 3;

quænam
sit communior

et probabilior.

§ I.—EXCLUDITUR POSSIBILITAS INFINITI CATEGOREMATICI.

213. PROPOSITIO. I.^a Repugnat multitudo actu infinita.

Prob. 1.^o Si possibilis esset multitudo actu infinita, posset pars æquare totum, vel totum non esse parte sua majus. Atqui hoc manifeste repugnat rationi. Ergo...

Multitudo actu
infinita
repugnat.

Prob. Major. Quælibet infinita multitudo continet in se omnes numerorum species infinities replicatas, videlicet infinitas unitates, infinitos binarios, ternarios, milliones, etc., ut ostensum est in *Ontologia* (1). Jam vero infinitum unitatum est pars infiniti binariorum, ternariorum, millionum, etc.; sicut una unitas est pars binarii, ternarii, millionis, etc. Atqui aliunde unum infinitum alio infinito majus esse non potest. Ergo infinitum unitatum æquat infinitum binariorum, ternariorum, millionum, etc.; scilicet totum partem minime excedit.

Respondet P. De Benedictis (2), multisque conatur evincere, principium istud: *Totum est majus sua parte*, non valere

quest. 3, sect. 4), Soarez lusitan *Physic.* tract. 4, disp. 2, n. 184). Cfr. Amicus *Physic.* tract. 18, quest. 6, dub. 2, art. 3). Qua de re juvat hic exseribere Conimbricensium iudicium: «In hac gravi et difficili controversia, inquit, negativa pars preferenda est, tam quia firmiter nititur argumentis, tum quia eam melioris note Philosophi amplexi sunt, ut ex sola collatione eorum, quos utrinque citavimus, constat. Quia vero Commentator in opere quod inscribitur: *Destructio destructionum* (disp. 1, ad dub. 7): *Impossibile*, inquit, est apud omnes Philosophos dari infinitum actu, sive corporeum sive incorporeum, ac nemo sapientum intelligere hoc potuit nisi Avicenna. [Excepit autem Avicennam, quia admisit dari actu infinitas animas racionales, innixus errore existantium generationes fuisse ab æterno, simulque certissima veritate confitentium animam nostram immortalem esse]. In hujusmodi autem causa vel maxime spectanda est, præter momenta rationum, auctoritas. Nam si gravissima quæque ingenia non potuerit concipere infinitum actu in rebus creabilibus habere rationem veri et factibilis; certe magnum est argumentum ita esse licet id perspicuis rationibus non convecat. Nihilominus quia affirmativa etiam pars suam habet probabilitatem et assertores non ignobiles; ac præsertim quia nullo argumento palam revincitur, utriusque partis rationes diluemus, ut quæ quisque voluerit, tueri possit.»

- (1) *Ontol.* num. 192, *Secunda proprietates*, pag. 564.
 (2) *Physicor.* lib. 3, quest. 5, cap. 6, paragr. 1.

in infinito, sed tantum in materia finita, in cuius assertionis patrocinium laudat alios quoque auctores et veteres et recentiores.—**Verum** in primis responsio hæc non solum displicet communissime adversariis infiniti actualis, sed etiam quibusdam patronis, e quibus sufficiat PP. Hieronymum Passolum ac Thomam Compton nominare. *Qui ita respondent*, inquit Passolus (1), *non tam infinitum defendunt, quam illud irridendum exponunt*. Compton autem scribit satius esse millies negare infinitum, quam in eas angustias redigi, ut quis cogatur principio tam manifesto refragari (2). Deinde ratione quoque revincitur prædicta solutio. Quia principium illud non ob aliud valet in materia finita, nisi quia de essentia partis est, ut excedatur a toto. Ergo ubicumque re vera datur pars et totum, sive in materia finita sive in infinita, totum necessario dicendum est majus esse sua parte.

Nec mihi objecias 1.^o complexum ex Deo et creaturis, cuius perfectio non est major, quam solius perfectio Dei.—**Nam perfectio Dei** re vera non est pars perfectionis, quæ in complexu illo reperitur; siquidem in Deo, qui est plenitudo essendi ac omnis perfectionis possibilis, jam inest modo altissimo ac perfectissimo quæcumque perfectio creata. Immo etiam in ipsis rebus creatis, quando habetur perfectio in aliquo solum per participationem ab alio, non est in utroque major perfectio, quam in communicante, sicut v. g. non est major potestas in rege absoluto ac ministris, quam in solo rege: idque non quia exceptionem patitur axioma illud: *Totum est magis sua parte*, sed quia potestas illa non sit divisa inter regem ac ministros, sed tota penes regem resideat, et solum ab eodem derivetur ministrorum potestas, unde rex nequit pars dici.

Nec mihi objecias 2.^o divinas personas, in quarum singulis tanta est perfectio, quanta in tribus simul sumptis, vel actus meritorios Christi Domini, quorum singuli non minorem habuere valorem, quam universi.—**Nam personæ divinae** singillatim sumptæ nequeunt habere rationem partis, utpote quæ imperfectionem importat, sed singulæ sunt infinite

(1) In 1.^a part. quæst. 7, art. 3. dub. 12, num. 40.

(2) Vide Compton, *Physic. disp.* 46, sect. 6, num. 3.

perfectæ, prout rem declarant Theologi. Quare perperam dicitur in divinis personis principium illud: *Totum est majus sua parte*, exceptionem pati. Nec valet quidpiam instantia meritorum Christi Domini, quia quamvis singuli actus sint pars totius multitudinis actuum; at meritum et valor singulorum non est pars infiniti valoris omnium actuum, quia infinitudo valoris non resultat ex complexu omnium actuum, sicut infinitudo multitudinis resultat ex collectione omnium unitatum; sed in singulis actibus seorsim et independenter ab aliis est totus infinitus valor, ratione infinitæ personæ operantis. Nec vero ex eo, quod actus singuli sint infiniti, concludas collectionem eorum majus quiddam esse. Nam non alia est infinitudo singulorum, quam universorum, nempe illa, quæ derivatur ex infinitate personæ divinæ, quæ proinde nequit multiplicari secundum actuum multipliciter. Quare iterum perperam actus meritorii Christi Domini obrutur in exemplum violati principii illius.

Respondent alii in infinito nec dari partem, nec totum, nec dimidium nec duplum, nec majus nec minus, nec æquale nec inæquale; sicut etiam non datur mensurabile.—**Verum negatur paritas**. Infinitum quidem mensurabile non est, videlicet finita mensura, quia eo ipso exhauriretur finitis acceptionibus, atque adeo desineret esse infinitum. Sed non satis intelligitur, cur nequeat esse totum, partesque habere, si sit multitudo quædam vel magnitudo. Ponè infinitam hominum multitudinem: an non illa ex singulis hominibus coalescit? ergo singuli homines partes sunt totius multitudinis, ab eaque exceduntur. Itemque infinitas binariorum dividi poterit in duas infinitates unitatum, quæ profecto æquales erunt inter se; sicut in infinitate hominum infinitas dextrorum oculorum æquaret infinitatem sinistrorum. Nihil ergo vetat, quominus in infinita quantitate dari queat pars ac totum, minus et majus, æquale et inæquale.

Prob. 2.^o Ea est quoque proprietas infiniti, ut neque augeri neque minui possit, nec unum infinitum alio majus esse (1). Atqui si possibilis foret infinita actu multitudo, posset infinitum augeri vel minui, et unum alio majus esse.

(1) Vide *Ontolog.* num. 102, *propriet.* 4.^o et 6.^o

Sane dentur infiniti homines; poterit sane Deus centum, mille, bis mille.... ex illis destruere, et multitudo, quæ remanet, minor profecto erit, quia jam non continet omnes homines, quotquot sunt possibles, immo et quotquot prius continebat. Aliunde multitudo ista vel est finita vel infinita. Finita esse nequit, infinita enim multitudo nequit detractioe finitarum unitatum finita evadere; sicut e converso nequit finita multitudo finitarum unitatum additione fieri infinita (1). Si autem infinita est prædicta multitudo, poterit profecto infinitum minui, aut unum alio minus esse. Unum autem infinitum alio minus evidenter absurdum videtur, quia verum infinitum tale esse debet, ut eo nihil majus aut esse, aut concipi possit. Præterea si possibilis est infinita hominum multitudo, non minus possibles erunt totidem angeli, quorum singuli singulis hominibus assignentur in custodiam. Quæro nunc, num summa multitudinis angelorum et hominum major sit, quam sola hominum multitudo. Majorem esse negari nequit, si valeant præcepta Matheseos. Ergo infinitum crescere poterit, vel unum esse majus alio. Deinde si ponatur infinita hominum multitudo, profecto multitudo oculorum, digitorum, capillorum, major erit; singuli namque binos habere supponuntur oculos, denos digitos et innumeram capillorum multitudinem. En iterum infinitum infinito majus.

Dices, cum P. De Benedictis ex Capreolo. S. Thomas docet (2), non semper quantum additum quanto facere majus, *potissime quando illud quod additur, non est quantum secundum eandem rationem, qua illud, cui additur, vel non habet proportionem, ad ipsum.*—Respondeo mentem S. Thomæ esse, id, quod additur quanto, non facere quantitatem majorem, si non sit quantum ratione sui, sed tantum ratione alterius; sicut v. g. lignum conjunctum cum sua quantitate non facit majus, quia nimirum lignum non est quantum ratione sui. Quare perperam objicitur auctoritas ac doctrina Aquinatis, ut patet ex ipsis ejusdem verbis: *Quod ergo dicitur, quod quantum additum quanto facit majus.*

(1) Vide *Ontolog. ibid. propriet. prima.*

(2) S. Thom. *de Malo*, quæst. 2, art. 2, ad 3.^{am}

intelligendum est, ubi utrumque dicitur quantum secundum eandem rationem; sed ubi unum est ratio alterius, quod sit quantum, hoc non oportet; sicut si lignum est longum, erit linea longa, nec oportet, quod lignum cum linea sit longius, quam linea, quia linea est ratio longitudinis ligno; sicut etiam dictum est, quod actus exterior habet rationem culpæ ab actu voluntatis (1).

Hæc aliaque similia argumenta colliguntur ex proprietatibus actualis infiniti in *Ontologia* probatis, ut videre est apud veteres scriptores (2).

Prob. 3.^o Argumento S. Thomæ sic scribentis: *Omnem multitudinem oportet esse in aliqua specie multitudinis. Species autem multitudinis sunt secundum species numerorum. Nulla autem species numeri est infinita, quia quilibet numerus est multitudo mensurata per unum...* (3). Quæ probatio in hanc formam proponi potest: Omnis multitudo est in aliqua determinata specie numeri, sive prædicamentalis sive transcendentalis, prout constat ex unitatibus quantitativis vel transcendentalibus. Atqui nulla species numeri potest esse actu infinita. Ergo repugnat actu infinita multitudo.

Major constat, quia omnis multitudo coalescit unitatibus, atque adeo numerus quidam est. Aliunde vero quidquid est in rerum natura, certa et determinata essentia gaudet. At nequit determinata essentia gaudere, nisi in determinata specie constituta sit. Præterea nihil est sub aliquo genere, quin ad certam aliquam speciem pertineat. Ergo omnis etiam multitudo suam habeat speciem, necesse est.

Minor probatur, quia species multitudinis determinatur per ultimam unitatem præcedentibus adjectam, sicut ternarius numerus per unitatem adjectam binario, centenarius per unitatem accedentem ad nonagesimum nonum, et ita porro. Atqui in infinita multitudine nulla datur ultima unitas, nec infinitum ex additione unitatis constitui potest. Ergo... (4).

(1) S. Thom. *de Malo*, loc. cit.

(2) Vide v. g. Matrium (*Physic. disp. 10, quæst. 3*), Semery (*Trienn. philos. tom. 2, disp. 8, quæst. 3, art. 1*), etc.

(3) S. Thom. 1 p. quæst. 7, art. 4.

(4) De hoc argumento videri inter alios possunt Card. Aguirre (*Physic. disp. 22, sect. 2*), Complutenses (*Physic. disp. 18, quæst. 5*), Joann. a S. Thoma (*Physic. quæst. 15, art. 2*).

Dices 1.^o numerum quidem finitum esse multitudinem mensuratam per unum, atque adeo constitutam in sua specie per ultimam unitatem, non autem numerum infinitum, utpote qui mensurari nequeat. — **Resp.** Numerus omnis, ut jam superius probavimus, importat essentialiter aliquem ordinem inter suas unitates, qui nequit consistere nisi in certo modo numerationis, seu mensurationis per unitatem, quemadmodum ibidem declaratum manet. Ergo id proprium esse debet numero etiam infinito, si possibilis sit. Et præcise in hoc sita est repugnantia infiniti numeri.

Dices 2.^o Falsum esse, quod omnis multitudo sit numerus quidam. Nam multitudo, prout nos ipsi superius docuimus, quatenus est a parte rei, non habet actu rationem numeri, sed eam accipit ab intellectu plures unitates certo quodam ordinere censente. Ergo nihil vetat, quominus detur multitudo, quæ in nulla determinata specie numeri sit constituta. — **Resp. neg.** prorsus illatum. Quia quamvis numerus in certa specie ac ratione numeri non constituatur, nisi per actum intellectus, est tamen a parte rei in omni multitudine capacitas, ut ab intellectu tot ejus unitates recensentur, ac proinde est capacitas, ut in certa specie formalis numeri constituatur. Ergo omnis multitudo potest per actum intellectus ad aliquam speciem numeri revocari, per ultimam videlicet unitatem, quæ post tot alias numeratas, recenseatur. Atqui hoc pugnat cum ratione infiniti, in quo nulla est pars ultima assignabilis.

Infinitum
secundum
intensionem
excluditur.

Iisdem argumentis excluditur quoque infinitum categorematicum quoad intensionem qualitatis; nam infinitum ejusmodi infinitam contineret graduum multitudinem: quare si infinita multitudo repugnat, infinitum quoque quoad intensionem repugnare dicendum est. Qua de re vide si lubet, fusissime disputantem Card. Aguirre (1). Sunt tamen quidam, ut P. Oviedo (2), qui passibilem putent qualitatem infiniti

(1) *Philosophia novo-antiqua*, tom. 1, *Physic.*, disp. 23. Cfr. *Complutenses*. (*Physic.*, disp. 18, quest. 6), et *Mastrius* (*Physic.*, disp. 10, quest. 5).

(2) *Physic.*, *Controv.* 14, punct. 5.

intensam, v. g. gratiam santificantem; et quidam etiam de facto dari gratiam infinitam in Christo Domino arbitrati sunt (1).

214. PROPOSITIO 2.^A Magnitudo vel extensio actu infinita repugnat.

Prob. 1.^o Potest ex præcedenti propositione, nam omnis magnitudo revocari ad multitudinem potest quodammodo, quatenus deberet certe constare infinito numero palmarum, ulnarum etc. Si enim non contineret infinitum palmarum, ulnarum, etc., numerum, infinita esse non posset, utpote mensurabilis finita mensura. Si autem contineret, nequit infinita multitudo repugnare, quin repugnet etiam magnitudo infinitam continens multitudinem.

Magnitudo
vel extensio
actu infinita
repugnat.

Prob. 2.^o Sit linea infinita ab Oriente ad Occasum sese protendens. Vel ex neutra parte est clausa, ita ut versus neutram extremitatem remaneat spatium possibile, vel ex utraque est clausa, vel denique ex altera parte est clausa, ex altera non. Si hoc postremum dicas, in primis occurrit tibi proprietas illa infiniti communi fere etiam adversariorum calculo approbata, et in *Ontologia* demonstrata, secundum quam infinitum nequit ulla ex parte terminari (2). Deinde ab ea extremitate, in qua linea finem habet, dantur profecto puncta quædam finite, v. g. centum, mille, palmis distantia, ut patet, et alia infinite distantia, quia secus linea non posset esse infinita. Ergo dicendum erit longitudines illas punctorum finite distantium per aliarum longitudinum additiones evasisse infinitas. Præterea linea per extremitatem, in qua finem habet, potest ulterius se protendere, ideoque augeri saltem per divinam omnipotentiam. Atqui infinitum nec potest augeri, nec ex additione finiti resultare. Ergo... Si secundum eligas, eadem offendes incommoda. Si denique primum malis, poterit profecto linea illa in duas medietates secari, de quarum singulis queram, num sint finitæ, an infinita. Si finitæ: ergo prius ex duplici finita medietate linea infinita conflabatur, quod absurdum est. Si infinitæ, in primis

(1) Vide apud Suarez, de *Incarnat.*, disp. 22, sect. 1.

(2) Vide *Ontolog.*, num. 192, *propriet.* 6.^a, pag. 565.

aderit infinitum infinito majus, scilicet integra linea major est singulis medietatibus. Deinde ab eo puncto, in quo secta est linea, versus utramvis extremitatem assignari poterunt puncta alia finite, alia infinite distantia: quapropter lineae illae duae infinite evadunt ex additione finiti ad finitum, quemadmodum nuper argumentabamur.

Dices. Datur de facto infinitum utrinque terminatum. Nam ut nos ipsi docuimus cum communi sententia in *Ontologia* (1), inter duas species creatas, puta inter hominem et leonem, possibles sunt infinitae, aliis aliae perfectiores, quin attingant gradum, in quo perfectissima duarum illarum constituta est. Ergo perperam dicitur infinitum utrinque terminatum repugnare.—*Resp.* infinitas ejusmodi species intermedias ex communi sensu intelligendas esse non infinitas actu, sed potentia seu indefinitas.

§ II.—SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

215. *Objic.* 1.^o Potentiae infinitae respondet infinitus effectus, nam effectus proportionem servat cum potentia: unde quo major est potentia, eo plura et majora efficere valet. Atqui datur in Deo potentia infinita. Ergo potes producere infinitum (2).

Resp. dist. Major: infinitus categorematice effectus *neg.* syncategorematice, *conc.*

Ad probationem *dist.* assertum: effectus univocus proportionem servat cum potentia, *conc.*; æquivocus *neg.* Tum concessa *Minore*, *neg.* conseq. Itaque divinae potentiae adæquatus effectus est infinitum syncategorematicum; quia cum sit infinita, potest quocumque opere assignato, semper majus ac præstantius efficere, sive quoad perfectionem et magnitudinem, sive quoad numerum. Nec tamen potest producere infinitum in actu, quia ostensum est id repugnare. Nec vero necesse est semper et absolute potentiae respondere effectum quoad ipsam perfectionis rationem sibi proportionatum et adæquatum; id enim impossibile est, cum agitur

(1) *Ontolog.*, num. 106, pag. 569.

(2) *Cfr.* S. Thom. 1 p., quaest. 25, art. 2, argum. 2.

de causa et effectu æquivocis. Secus dicendum quoque foret, Deum posse producere effectum quoad essentiam infinitum.

Instabis 1.^o Major est divina potentia, quam virtus infinitorum ignium, si existerent. Atqui si infiniti existerent ignes, possent infinitas efficere combustiones. Ergo eas Deus potest nunc facere.—*Resp. neg.* conseq., quia repugnant ejusmodi combustiones infinitae. Minor autem propositio vera quidem est, sed continet impossibilem conditionem; ac proinde nihil evincit.

Instabis 2.^o Si Deus necessario ageret, infinitum produceret, quia totam suam virtutem, quæ infinita est, effunderet. Ergo etiamsi libere operetur, poterit si velit, infinitum creare.—*Resp.* In primis *negatur* antecedens; quia ens necessario agens nequit esse infinite perfectum, nec proinde infinitae virtutis. Deinde nos non negamus possibilitatem infiniti ex defectu virtutis in Deo, sed ex intrinseca ejusdem repugnantia. Quare si vere infinitum in se repugnat, ut nobis quidem videtur, etiam dato quod Deus infinita virtute polens necessario ageret, adhuc non crearet infinitum effectum.

Instabis 3.^o Potest Deus quocumque effectu finito assignato majus aliquid efficere. Atqui opus quocumque effectu finito assignato majus est infinitum actu. Ergo.—*Resp. neg.* Minor; nam etiam infinitum potentia seu syncategorematicum est ejusmodi, ut quacumque determinata magnitudine vel multitudine assignata, possit adhuc crescere magis sine fine. Ut porro videas argumentum nihil concludere, observa eandem prorsus formam discursus adhiberi posse ad probandum, quod Deus possit essentiam infinitam creare; certum quippe est, posse Deum quacumque essentiae perfectione assignabili majorem aliam præstantioremque producere. Et nihilominus certum est ejusmodi essentiam non fore actu infinitam, quia essentia creata actu infinita pugnat in terminis.

Objicit. 2.^o Si omnes creaturæ essent simul possibles, essent actu infinitae, nullus enim in illis finis assignari potest. Atqui sunt possibles omnes simul. Prob. Minor. Quæ sunt possiblea seorsum, sunt etiam possiblea simul; nam possibilitas unius entis non excludit possibilitatem alterius. Atqui omnes creaturæ sunt possibles seorsum. Ergo etiam sunt possibles simul.

etiam ad finitorum omnium maximum, quem pariter repugnare probavimus in *Ontologia* (1).

Objic. 5.^o Non repugnat infinitum potentia vel syncategorematicum (2). Ergo nec repugnat categorematicum. Consequentia probatur; quia in infinitum syncategorematicum retorqueri possunt fere argumenta, quæ contra categorematicum allata sunt. Quare vel utrumque excludendum, vel utrumque admittendum. Sane sint duo infinita syncategorematica; poterunt ab altero mille unitates detrahi, ab altero centum dumtaxat vel nulla. Et quæram statim utrum adhuc illa æqualia remaneant, necne, instaurando argumentum superius factum. Item in infinito hominum syncategorematico plures sunt oculi, quam homines, et capilli, quam oculi: unde habebitur infinitum infinito majus etc.

Resp. Infinitum syncategorematicum essentialiter actu finitum est, ita tamen ut magis ac magis augescere queat absque ullo fine, quemadmodum in *Ontologia* declaratum est (3). Hinc repugnat infinitum hujusmodi sumi vel cum veritate affirmari per modum unius collectionis completæ, integræ et actu positæ, cui scilicet nulla jam amplius pars restet addenda: secus enim non jam infinitum potentiale, sed actuale et categorematicum habetur. Verbo infinitum syncategorematicum ita importat determinatam aliquam magnitudinem vel multitudinem, ut essentialiter importet potentiam ulterioris indeterminate et absque ullo fine augmenti, ac proinde positionem partium apponibilium, quin sisti unquam possit. Jam comparatio unius infiniti syncategorematici cum alio tripliciter fieri posset: primo secundum partes actu existentes; secundo secundum partes determinate possibiles ac distributive sumptas; tertio secundum omnes partes tum existentes tum possibiles collective sumptas. Prima et secunda comparatio legitima est, et sic duo infinita syncategorematica secundum ea, quæ actu possident, et secundum determinatum ac certum aliquod augmentum, quod accipere

(1) Vide *Ontolog.*, num. 192, pag. 563. Cfr. de his Mayr (loc. cit., num. 1194), Semery (*Trienn. philos.*, tom. 2, disp. 8, quest. 3, art. 2, *Objic. 5.^o*)

(2) Vide *Ontolog.*, num. 204, pag. 583 seqq.

(3) Vide *Ontolog.*, num. 191 fin. pag. 562.

queunt, si invicem comparentur, erunt vel æqualia vel inæqualia et unum alio majus aut minus. Quare de qualibet collectione hominum actu existente vel determinate possibili, atque adeo actu finita, dicendum est, quod in ea numerus oculorum major est numero capitum vel nasorum, et numerus capillorum numero oculorum: neque id repugnat, quia omnis ejusmodi collectio semper finita est. At si comparentur invicem duo infinita syncategorematica, prout complectuntur non solum partes actu existentes et quaslibet alias possibiles determinatas, sed etiam præterea omnes prorsus sine fine apponibiles collective sumptas, comparatio frustranea est, nec recte instituitur, quia collectio ejusmodi partium complete actuata non potest existere: et si per impossibile fingatur existens, desinit esse jam multitudo infinita syncategorematicæ, et fit categorematicæ infinita. Ac proinde perperam dicitur in objectione contra infinitum syncategorematicum urgeri argumenta a nobis facta contra categorematicum. Itaque

Resp. in forma, neg. conseq. Et ad probationem, *neg. antecedens*, ad cujus probationem *neg. conseq.*

Objic. 6.^o Non datur infinitum. Ergo datur infinitum. Prob. conseq. Si non dantur actu infinita entia, dantur actu infinitæ negationes entium. Nam quot possent existere entia, et non existunt, tot dantur actu entium negationes. Sed possent existere entia non tot quin plura, et non actu existunt. Ergo actu dantur non tot quin plures entium negationes, videlicet infinitæ.

Resp. Istud argumentum de genere illorum, quæ *mirabilia* vocantur, quod quidam magni faciunt, exsufflatur, ac plane evanescit, *negando* suppositum consequentis secundum sententiam, quam in *Ontologia* tradidimus circa negationis naturam (1). Scilicet negationes sunt purum nihil: unde proprie loquendo neque existunt, neque possunt dici multæ nec pauçæ, nec finitæ nec infinitæ; quia tamen concipi nequeunt nisi mediis speciebus alienis earum formarum, quarum carentiam important, ideo improprie dicuntur existere vel multiplicari, vel multæ aut pauçæ esse, etc. Qui vero

(1) Vide *Ontolog.*, num. 29 seqq. pag. 81 seqq.

negationibus aliquid esse positivum largiuntur, videant ipsi, quo pacto difficultatem istam dissolvant.

Objic. 7.^o Continuum est in infinitum divisibile in partes proportionales, quæ omnes invicem connectuntur modis quibusdam, ex sententia illorum, qui unionem in modalitate reponunt. Atqui partes illæ in infinitum divisibiles adsunt actu in continuo ante ipsam divisionem. Ergo necesse est agnoscere in continuo infinitam partium multitudinem.—Resp. Difficultas hæc dissolvitur mox, cum de continui natura disputandum est. Ea porro non urget nisi in opinione Aristotelis ac S. Thomæ, eaque longe communiori, continui divisibilitatem in infinitum tuentium; qui autem cum Zenone opinantur continuum ex punctis inextensis atque indivisibilibus conlari, facile argumenti vim effugiunt, *negando* partes ejusmodi, quantumvis plurimas, esse infinitas.

Objic. 8.^o Sententia est sat communis veterum, non demonstrari repugnantiam creationis ab æterno. Si autem mundus ab æterno existens ponatur, habebit tempus infinitum de quo in primis quæri posset, num dierum numerus major foret, necne, numero mensium vel annorum; et sic contra tale infinitum jure urgere liceret argumenta, quibus nos ipsi usi fueramus superius. Deinde in singulis instantibus vel horis vel diebus creari à Deo possent singuli angeli, qui proinde infinitam constituerent multitudinem.—Resp. Hæc obiectio in nostra sententia nullum negotium facessit. Possibilitatem enim æternæ creationis putamus cum pluribus aliis Doctoribus solum probabiliter admittendam non esse quoad entia successiva, motus videlicet, generationes rerum ac tempus. Ex quo minime sequitur dari tempus infinitum nec infinitam aliorum etiam multitudinem, quemadmodum superius exposuimus. Qui autem admittunt æternæ creationis possibilitatem etiam quoad entia successiva, viderint num difficultatem istam solvere queant, aut infiniti categorematici possibilitatem agnoscere teaneantur.

Objic. 9.^o Ex S. Augustino numeros infinitos esse certissimum est... Infinitas itaque numeri, quamvis infinitorum numerorum nullus sit numerus, non est tamen incomprehensibilis

ei, cujus intelligentiæ non est numerus (1).—Resp. verba S. Doctoris posse intelligi de infinito syncategorematico, nam crescere numeri possunt in infinitum. Aliter non apparet, quomodo scribere potuerit *certissimum esse*, quod datur infiniti numeri, nisi forte divino illo suo ingenio assecutus fuerit evidentem aliquam rationem, quam nec S. Thomas nec ullus alius postea videre putaverit.

Objic. 10.^o Mathematici passim loquuntur de infinito. Ergo admittendum est.—Resp. «Quoties Mathematici dicunt infinitum, intelligendum non est infinitum actu, sed pro re nata aliquando indefinitum dicunt, verbi causa, quum in optica solares radii dicuntur a *distantia infinita* venire sensus est, eos tam parum divergere, ut practice quasi a *foco indefinite distante* proveniant, id est, cujus distantia tanta sit, ut jam nihil juvet aliquid addere, quia jamjam pro parallelis haberi possint radii;—aliquando autem impossibile et nullum dicunt, verbi causa, quum in Geometria duæ rectæ parallelæ dicuntur concurrere in *distantia infinita*, sensus est, eas *nunquam posse* in unum concurrere;—vel quum in algebra dicitur $\frac{1}{\infty}$ esse *signum infiniti*, sensus est, symbolum hoc *nullum posse valorem habere*, nam sicut $\frac{1}{4}=4$, quia $2 \times 4=8$, et $\frac{1}{a}=b$ quia $2 \times b=a$, ita $\frac{1}{\infty}=8$ quia $0 \times \infty=a$; sed hoc ultimum repugnat, nullus enim valor est, nec finitus nec infinitus, cujus si nihil sumpseris, sumpseris positivam quantitatem a» (2). De infinito Mathematicorum vide, si lubet, fuse disputantem cl. P. Tilmanum Pesch (3).

Objic. 11.^o Non est impossibile illud, quod est in potentia, reduci ad actum. Sed numerus est in infinitum multiplicabilis. Ergo non est impossibile dari multitudinem infinitam.—Resp. *Unumquodque, quod est in potentia, reducitur in actum secundum modum sui esse; dies enim non reducitur in actum, ut sit tota simul, sed successive: et similiter infinitum multitudinis non reducitur in actum, ut sit totum,*

(1) S. Augustino de Civit. Dei. libr. xii, cap. 18.

(2) Van der Aa, Ontolog., propos. 74, Corollar. 3.^o pag. 239, Lovanii 1688.

(3) Philos. natural. num. 421.

sed successive, quia post quamlibet multitudinem potest sumi alia multitudo in infinitum (1).

Plura de his dabunt auctores superius laudati. Unum autem restat discutiendum argumentum ex eo desumptum, quod Deus omnia simul possibilis cognoscat, quæ proinde in mente divina infinitam videntur efficere multitudinem objectorum cognitorum.

§ III.—UTRUM EX DIVINA COGNITIONE

POSSIBILIIUM EFFICACITER ENERVENTUR ARGUMENTA, QUIBUS EXCLUDITUR INFINITUM ACTUALE.

216. Gravis hic occurrit difficultas, mihi que non parum obscura et perplexa, quæ forte in causa fuit, cur Cardinalis Toletus, vir sane acerrimo ingenio, sententiam longe communiorem de repugnantia infiniti categoremati, quam in libris *Physicorum* (2) propugnauerat, in posthumo opere: *Enarrationes in Summam theologicam S. Thomæ*, deseruerit, contrariamque tamquam probabiliorum fuerit amplexus (3). Re sane vera certum est Deum perfectissime nosse quidquid facere per suam omnipotentiam valet; res autem factibiles possunt majores ac majores sine ullo fine excogitari. Ergo aliquid debet in tota corporum creabilium collectione infinita reperiri, quod maximum, atque adeo infinitum sit. Ergo illud Deus facere potest, ac proinde infinitum secundum multitudinem minime repugnat. Idemque plane dicendum est de infinita multitudine. Etenim infinita sunt possibilis, quæ Deus per totam æternitatem facere potest; sicut enim ipsa æternitas finem non habet, ita finem habere nequeunt, quæ per totam æternitatem factibilia sunt. Porro possibilis ejusmodi, quamvis omnia simul per collectionem completam nunquam erunt, nec possunt esse, quia æternitas nec desinere potest nec finem habere; nihilominus in mente divina omnia simul præsentia distinctissime sunt, siquidem Deus omnia unico simplicissimo intuitu simul perspicit. Ergo Deus

(1) S. Thom. 1. p. quæst. 7. art. 4. ad 1.^{um}
 (2) *Physicor.* lib. 3, cap. 8, quæst. 6.
 (3) In 1.^{am} p. quæst. 7, art. 4.

Utrum
ex divina
possibilium
omnium
cognitione
infirmitati quæst
hactenus
stabilis
doctrina.

Aperitur
difficultas.

videt infinitam multitudinem. Quod si verum est, prorsus efficitur infinitum minime repugnare; tum quia Deus nequit cognoscere aliquid in se repugnans, tum quia quæcumque ad infiniti repugnantiam confirmandam adduximus, si quid valerent, eadem vi retorquenda essent in infinitum, prout in mente divina relucens. Cum ergo contra hoc nihil valeant, nihil quoque valere dicenda sunt contra infinitum a parte rei existens. Circa hanc difficultatem

217. Dicendum 1.^o est, *Deum cognoscere infinita*, saltem præscindendo ab eo, quod sint infinita categoremati vel syncategoremati. Ita tenet cum S. Thoma (1), S. Bonaventura (2), aliisque priscis Theologis communis scriptorum sententia (3), idque certum esse docet Cardin. Pallavicinus (4) et Magister Albiz (5). Ratio autem est ea, quam modo exposui in proponenda objectione. Nam videt Deus omnia, quæ sunt in potentia vel sua vel creaturæ, itemque omnia, quæ imitari aliquo modo possunt suam infinitam essentiam; eaque omnia videt non confuse dumtaxat, sicut nos cognoscimus species in genere, vel individua in specie, sed distincte secundum proprias rationes ita, ut eo ipso modo et gradu perfectionis determinato, quo existerent in seipsis, si crearentur, perspicat omnia individua possibilis cujuslibet speciei, omnesque species possibilis divinæ essentia representatrices: in quibus possibilibus, sive speciebus sive individuis, nullus profecto esse, vel excogitari finis valet. Ergo videt Deus infinitum in possibilibus. Nec solum videt infinitam multitudinem possibilium omnium, sed insuper etiam actuum quorundam existentium. Quia cogitationes et affectus beatorum in cælis ac dammatorum in inferis absque

Deus videt
aliquomodo
infinita.

(1) Vide 1 p., quæst. 14, art. 12; lib. 1.^o *Cont. Gent.*, cap. 69; de *Verit.*, quæst. 2, art. 9; 1.^o dist. 39, quæst. 1, art. 3; *Compend. Theolog.* cap. 133.

(2) 1.^o dist. 35, art. unic. quæst. 5; dist. 39, art. 1, quæst. 3.
 (3) Vide Suarez (*de Incarnat.*, disp. 26, sect. 4, vers. fin.), Vazquez (In 1.^{am} part., disp. 63), Valentia (In 1.^{am} part., quæst. 14, punct. 6), Sylvium (In 1.^{am} part., quæst. 14, art. 12), aliosque apud Cardin. Franzelin (*De Deo Uno*, thes. 41).

(4) *Assertion. theologicar.* lib. 8, de *Deo Uno et Trino*, cap. 33.
 (5) *De Scient. Dei*, tract. 1, disp. 4, sect. 5.

ullo limite multiplicabuntur per totam aeternitatem. Illa autem omnia divinam effugere nequeunt scientiam. Ergo Deus non solum scientia, quam dicunt simplicis intelligentiae, sed etiam visionis videt infinita (1).

Dices. Si Deus cognoscit infinita, poterit etiam per suam omnipotentiam. quae non minor est scientia, illa omnia producere. Ergo si concedimus Deum cognoscere infinita, fateri quoque debemus infinitum possibile esse in rerum natura.

Resp. *dist.* conseq. Possibile est etiam in rerum natura infinitum syncategorematicum, *conc.*, categorematicum, *neg.* Primo quia nondum definivimus, utrum infinitum, quod esse objectum divinae cognitionis concessimus, sit categorematicum, an vero syncategorematicum: quae autem hactenus hac de re diximus, stare omnino possunt, licet infinitum in ideis divinis relucens sit tantum syncategorematicum. Perperam ergo illico infertur ex praejacta doctrina possibilitas infiniti categorematici. Deinde quamvis infinitum, quod divinae menti objicitur, foret categorematicum, non recte adhuc concluderetur possibilitas ejusdem in rerum natura, quia rationes, quae sunt in divino intellectu, non eodem modo, quo sunt in illo, ponuntur in *esse*, sed secundum modum, quem postulat, vel patitur ipsa rei efficiendae conditio. Atqui res possibles non omnes simul existere possunt, ut superius declaratum manet, sed multae contradictoriae sunt, aliae successive ponendae erunt, vel certe poni possunt per totam aeternitatem absque ullo fine. Ergo quamvis ea omnia Deus simul intelligat, et quamvis omnipotentia non minor sit in se divina scientia, non tamen omnia possibili simul esse in actu complecto queunt. Simili modo rationes omnium rerum etiam corporearum in divina quidem scientia immateriales sunt, non tamen possunt absque contradictione tales esse in seipsis. Ergo ex eo, quod res a Deo scitae constituerent infinitam actu multitudinem, non sequeretur eam esse a parte rei possibilem.

Utrum
infinitum quod
est objectum

218. Et haec quidem plana videntur esse; illud autem acriori concertatione in dubium revocatur, utrum infinita

(1) Vide S. Thom., 1 p., quaest. 14, art. 12. Cf. alia loca supra citata.

haec, quae Deus cognoscit, categorematicae vel actu, an vero syncategorematicae vel potentia infinita dicenda sint. Ex altera parte categorematicae infinita esse videntur, quia omnia simul cognoscit Deus. «Ergo ut sic actu sunt simul: ergo actu infinita; hoc enim differt infinitum actu ab infinito in potentia, quod illud est totum actu simul, hoc partim actu, partim potentia... Et confirmatur, nam si illa omnia, quae simul cognoscuntur, simul essent in re, esset multitudo categorematicae infinita. Sed eadem sunt nunc in cognitione. Ergo... In contrarium vero est, quia licet omnia illa simul sint cognita, tamen non aliter sunt infinita, quam in re esse possint; quia cognitio accommodatur rebus ipsis. Sed in re non possunt esse nisi categorematicae infinita, quia non potest tota illa multitudo in re existere simul. Unde nihil referre videtur, quod in cognitione sint simul, si in re tantum fieri possunt successive, quia modus cognoscendi non variat modum quantitatis ipsius rei; nec res habet magnitudinem aut multitudinem suam, atque adeo quod sit finita aut infinita hoc vel illo modo, ex ordine ad cognitionem, quae illi extrinseca est, sed in ordine ad existentiam, quam juxta naturam suam habere potest. Nec videtur recte dici posse illa esse infinita categorematicae in *esse* cognito, et a parte rei infinita syncategorematicae, quia non habet res aliam quantitatem in *esse* cognito, et aliam a parte rei; secus non esset vera cognitio. Et confirmatur, quia Deus ipse non videt aliud infinitum, quam sit possibile vel futurum. Sed non est possibile aut futurum infinitum categorematicum. Ergo» (1).

In hac controversia P. Vazquez (2), Card. Toletus (3), Rubius (4), Sylvius (5), Hieronymus Fassolus (6), Hurtadus (7), Arriaga (8), De Benedictis (9), alique volunt multitudinem, quam Deus videt, actu et categorematicae infinitam

divinae
intuitionis, sit
categorematicae
infinitum:

prima sententia
affirmativa,

- (1) Suarez de *Incarnat.* disp. 26, sect. 4, num. 11, 12.
- (2) In 1.^{am} part., disp. 63, cap. 1, 2 et 3.
- (3) In 1.^{am} part., quest. 7, art. 4.
- (4) *Physic.* tract. 2, quest. 2.
- (5) In 1.^{am} part., quest. 14, art. 12.
- (6) In 1.^{am} part., quest. 7, art. 2, dub. 2.
- (7) *Physic.* disp. 13, sect. 1.
- (8) *Physic.* disp. 12, sect. 2.
- (9) *Physic.* lib. 3, quest. 5, cap. 6.

altera negativa
connumerat.

esse. At Suarez (1), cum quibusdam veteribus, Valentia (2), Tanner (3), Rhodes (4), Sylvester Mauri (5), Card. Aguirre (6), Antonius Mayr (7), Ludovicus Losada (8), Andreas Semery (9), et alii arbitrantur eam multitudinem esse syncategorematicè dumtaxat infinitam. Idemque tenet cum quibusdam Scotistis Matrius (10), ac denique Frassen (11), et multi recentiores (12). Et eandem fuisse mentem Angelici Doctoris probare contendit P. Gregorius de Valentia.

Quanta
sit connectio
huius
questionis cum
controversia
de repugnantia
infiniti
categorematici.

Inter duas hasce sententias iudicio Doctoris Eximii «in re non videtur esse magna diversitas, nam omnes conveniunt in his: primo illa, quæ videntur, non esse in certo aliquo numero finito, nec posse perveniri in finem eorum, numerando unum post aliud. Secundo, illa omnia simul cognosci, et ita esse simul aliquo modo, scilicet objective. Tertio, illam collectionem non posse actu poni in re. Quibus positis, fere de modo loquendi videtur controversia» (13). Nihilominus quamvis ad adstruendam possibilitatem actualis infiniti parum fortasse referat, ut quis multitudinem eorum, quæ a Deo cognoscuntur, categorematicè vel syncategorematicè infinitam dicere velit; tamen ad impugnandam infiniti possibilitatem equidem existimo multitudinem illam divinæ cognitioni objectam syncategorematicè infinitam dicendam esse.

(1) Loc. nup. cit.

(2) In 1.^æ part., quæst. 14, punct. 6.

(3) *De Deo*, disp. 2, quæst. 2, dub. 4, assert. 6.

(4) *Philos. peripat.* lib. 2, disp. 3, quæst. 3, sect. 3, paragr. 1.

(5) *Question. philos.* tom. 2, lib. 2, quæst. 34.

(6) *Physic. disp.* 22, sect. 5.

(7) *Philos. peripat.*, pars ultim. disp. 1, quæst. 2, art. 6, n. 1232 seqq.

(8) *Physic.*, tract. 3, disp. 3, cap. 3.

(9) *Trienn. philosoph.* tom. 2, disp. 8, quæst. 3, art. ult.

(10) *Physic. disp.* 10, quæst. 6.

(11) *Physic. disp. 2 de Contin.* sect. 2, quæst. unic., in respons. ad Dices 2.^o

(12) Vide cl. P. Liberatore (*Ontolog.* num. 167), Tongiorgi (*Ontolog.*, num. 355 seqq.), cl. P. Palmieri (*Theodicea* thes. XXVI), cl. P. Pesch (*Philos. natur.* num. 423 seqq.), cl. Van der Aa, (*Ontolog.*, propos. 74, *Objic.* 4.^o).

(13) Suarez, loc. cit. n. 13.

Primum horum probatur, quia multitudo eorum, quæ a Deo simul videntur tamquam possibile, vel etiam tamquam futura per totam æternitatem, non potest unquam complete poni a Deo in *esse*, non quidem ex defectu potentiæ, sed ex conditione ipsarum rerum possibilium aut futurarum, quæ partim contradictoriæ sunt, partim successive erunt per totam æternitatem, ideoque licet simul cognoscantur a Deo per unicum simplicissimum actum, non tamen possunt omnes actu et complete in *esse* positæ existere, prout jam superius explicatum remanet. Ergo ex eo quod Deus videat infinitam possibilium multitudinem, sive categorematicè sive syncategorematicè infinitam dixeris, non videtur illico posse inferri possibilitatem infinitæ actu multitudinis in rerum natura.

Alterum ex eo mihi persuadeo, quod non videam, quomodo admissa cognitione divina infinite actu multitudinis, possit efficaciter infiniti categorematici repugnantia convinci. Si enim possibile, prout menti divinæ præsentia, infiniam categorematicè multitudinem efficiunt: plane videtur sequi multitudinem ejusmodi in seipsa non repugnare; si enim repugnaret, non posset a Deo cognosci. Deinde contra infinitum actuale intentionale seu in mente Dei existens, eadem argumenta urgeri possunt, quibus superius usi fueram usque adversus infinitum reale. Ergo vel utrumque negandum vel utrumque admittendum est. Quamobrem, ut ad propositam in hac questione difficultatem, tum relate ad magnitudinem, tum relate ad multitudinem infinitam divinæ cognitioni objectam, respondeam, aperiendamque quid mihi verosimilius in re obscurissima videatur,

219. Dico. 2.^o Multitudo rerum cognitarum a Deo, etiam prout existens intentionaliter in mente divina, non videtur esse actu et categorematicè infinita, sed potentia dumtaxat et syncategorematicè.

Prob. 1.^o Quod est in se chimericum et repugnans, nequit esse objectum cognitionis divinæ. Atqui ostensum est, infinitam actu multitudinem chimeram esse, atque in se repugnare. Ergo... Itaque si Deus videret multitudinem actu infinitam, videret illam augmenti ac decrementi capacem;

Multitudo rerum a Deo cognitarum etiam prout est intentionaliter in mente divina non videtur esse

categorematicae
infinite.

videret infinitum denariorum decuplo majus infinito unitatum; videret totum, quod non est majus sua parte etc., quemadmodum superius argumentabamur: quæ omnia sunt absurda.

Prob. 2.^o Ad hoc ut multitudo rerum, prout a Deo cognita, foret actu infinita, oporteret, ut Deus omnes illas res collective cognosceret, seu per modum unius collectionis complete actuatae. Atqui non potest hoc pacto Deus rerum omnium multitudinem videre. Nam α) in primis res possibles sunt sine fine multiplicabiles; deinde actus animæ immortalis sine fine multiplicabuntur tamdiu, quamdiu durabit æternitas. Collectio vero harum rerum complete actuata debet omnes illas ita claudere in se, ut nulla alia sit assignabilis extra illam; secus enim quæcumque non continerentur intra talem collectionem, profecto nequirent ad illam pertinere, nec proinde collective cognosci. Atqui nunquam tot erunt positi actus animæ immortalis in quolibet instanti æternitatis, quin plures et plures sine fine sint ponendi, nec tot assignari possunt res possibles, quin pariter alii plures in infinitum assignari queant. Ergo repugnat, ut Deus videat omnium rerum sive possibilium sive futurarum multitudinem collective, seu instar unius collectionis plene actuatae: omniaque prorsus sub suo ambitu comprehendentis; sed necessario dicendum est Deum illa omnia videre distributive, aut etiam per plures ac plures collectiones, puta binariorum, centenorum, millenorum, etc., nunquam exauribiles. β) Præterea si Deus omnia, quæ videt, collective seu instar collectionis complete actuatae videret, quoniam cognoscit etiam omnes numeros finitos possibles, simili modo collective illos videret; par enim est ratio utrobique. Atqui hoc prorsus repugnat. Etenim si Deus ita cognosceret omnes numeros finitos possibles, cognosceret etiam aliquem, qui cæteros omnes excedit, videlicet cognosceret numerum finitum maximum omnium. Atqui numerus finitus maximus omnium repugnat, ut in *Ontologia* probatum est. Ergo...

Prob. 3.^o Si multitudo in divina mente relucens actuum immortalis animæ per totam æternitatem futurorum, foret categorematicè infinita, videret profecto Deus eam constare ex unitatibus, et infinitam evadere per additionem novi

alicujus actus ad præcedentes; nam actus illi successive ponentur ac singillatim, nec ad infinitum numerum propterea perveniunt, quia in aliquo instanti simul infiniti actus ab anima eliciantur. Ergo nequit explicari vel concipi, quomodo multitudo illa crescat usque ad infinitum, nisi per additionem finiti ad finitum. Atqui id prorsus evertit conceptum infiniti actualis, ut jam probatum est in *Ontologia* (1).

Prob. 4.^o Cum Eximio Doctore, «quia illa multitudo, quamvis simul cognita, talem habitudinem habet ad suam existentiam, ut ex intrinseca natura sua petat non posse exhauriri, cum fit. Unde in sua intrinseca ratione includit hanc veluti potentialitatem, ut semper scilicet aliquid illius restet efficiendum. Et in hac potentialitate consistit ratio infiniti syncategorematicæ; sicut quamvis tempus totum simul cognoscatur, ipsum tamen, etiam cognitum, ens successivum est, quia talem habitudinem habet ad existentiam, ut non possit totum simul existere, sed pars post partem. Similis enim ratio est de hoc infinito in potentia; includit enim in conceptu suo successionem quamdam in existentia seu productione sua. Et hoc modo salvantur multa, quæ tractari solent de infinito, ut est in cognitione divina» (2).

220. **DICO 3.^o** Deus non videt ullam magnitudinem quantitativam actu infinitam.

Hæc assertio forte certior et clarior est precedenti: unde etiam quidam, qui concedunt multitudinem rerum a Deo cognitarum esse actu infinitam, negant idem dici posse de magnitudine (3).

Deus
nullam videt
quantitativam
magnitudinem
actu
infinite.

(1) Vide *Ontolog.*, n. 102, *propriet.* 1.^a, pag. 563.

(2) Suar. loc. cit., n. 14.

(3) Ita v. g. Joan. a S. Thom. (*Physic.*, quæst. 15, art. 3.) qui hanc reddit discriminis rationem: «Ad multitudinem syncategorematicè infinitam et in potentia nihil deest, nisi quod simul in actu ponatur, ut reddatur infinitum actu; hoc autem consequitur beneficio intellectus simul in actu videntis ea, quæ non sunt simul, sed syncategorematicè et in potentia infinita. Ut autem detur magnitudo infinita, non sufficit simul apprehendere plures vel omnes magnitudines, quæ cognoscuntur fieri posse, sed requiritur quod cognoscatur una magnitudo extra omnem terminum extensa et actu infinita; hæc autem non est possibilis ex parte rei cognite».

Ratio autem est, quia licet crescere usque possit magnitudo sine fine, nunquam tamen pervenire potest ad hoc, ut sit actu infinita, quia talis magnitudo impossibilis est, nec proinde inter omnes possibles magnitudines videri a Deo potest. Sicut jam etiam in *Ontologia* declaravimus, probavimusque, species rerum creabilium perfectiores ac perfectiores in infinitum esse posse, quin tamen ulla plenam attingat essentialiter divinæ imitationem, nec proinde actualem in perfectione infinitatem (1). Id porro quomodo non repugnet, illustrari potest exemplo trianguli, qui certe crescere et ipse potest magis ac magis sine ullo limite, et nihilominus infinitus evadere nequit, quia est figura essentialiter terminis comprehensa. Ergo bene stat, quod magnitudo possit crescere in infinitum, quin tamen possit aut infinita effici, aut omnium finitarum possibilitium maxima assignari (2).

Quaedam
objectiones
solvuntur

221. *Objic. 1.^o* Res possibles utcumque in seipsis nequeunt omnes simul existere, at in mente divina simul existunt intentionaliter. Atqui res infinitæ simul existentes constituunt infinitum categorematicum. Ergo multitudo possibilitium, prout in mente divina existens, actu infinita dicenda est.

Resp. dist. Major. In mente divina simul omnes existunt similitate cognitionis, *conc.*; similitate objecti constituentis unam collectionem complete actualatam, *neg.*; nam multitudo ejusmodi chimerica est.

Et *contradist. Minor.* Res infinitæ simul, id est uno actu, cognitæ constituunt infinitum categorematicum, *neg.*, simul cognitæ ex parte objecti ita, ut objectum representetur instar collectionis determinatæ ac plene actualatæ, extra quam nihil aliud assignari queat, *conc.* Deus ergo non successive cognoscit multitudinem etiam eorum, quæ successive fieri et esse nata sunt, sed omnia unico simplicissimo actu representat; verum hic unus actus non exhibet omnia per modum unius collectionis, sed distributive dumtaxat: quare cognitio illa ita terminatur ad singula individua vel singulas

(1) Vide *Ontolog.* n. 205, p. 585 seqq.

(2) Cfr. quæ in citato loco *Ontologiae* fusius disputata sunt de creatura omnium perfectissime.

determinatas collectiones individuorum quascumque, ut præter illa possint assignari alia et alia sine ullo fine, quæ pariter cognoscantur a Deo. Simili modo Deus cognoscit possibles species creaturarum magis ac magis perfectas sine fine.

Dices 1.^o Deus ita cognoscit singula possiblea et actus animæ immortalis per totam æternitatem futuros, ut nullum prorsus eorum ignotum maneat. Quid ergo vetat, quominus illa omnia collective cognoscere dicatur? Nam omnium profecto eorum, extra quæ nihil est, videtur fieri posse collectio.

Resp. neg. conseq. Ad probationem, *dist. assertum.* Eorum omnium, extra quæ nihil est, videtur fieri posse collectio, si illa finita sint, sive actu sive patientia, *conc.*, si sint potentia infinita, *neg.* Nam proprium est collectionis complete actualatæ, ut habeat ultimum. At in possibilibus et in actibus per æternitatem exercendis ab immortalis anima vel angelo, nullum ultimum assignari potest, sicut in nullo generatim infinito syncategorematico (1).

Dices 2.^o Si creaturæ omnes possibles non cognoscuntur a Deo instar collectionis determinatæ et completæ, aliqua creatura ab ipso non cognoscitur. Atqui hoc absurdum et impium est. Ergo... *Prob. Major.* Quia creaturæ possibles non existunt realiter per modum unius collectionis, ideo aliqua saltem realiter non existit. Ergo a pari ex eo, quod omnes res possibles non cognoscuntur, seu existunt intentionaliter per modum unius collectionis, sequitur aliquam illarum non existere intentionaliter, seu non cognosci.

Resp. neg. Major. Nam ut ex *Dialectica* notum est, præter suppositionem collectivam, adest distributiva, quæ etiam supponit pro omnibus suis inferioribus. Ergo potest Deus omnia possiblea distributive cognoscere, quin ullum se lateat. Sic in hisce propositionibus: *Omnis homo habet unum tantum nasum*, subjectum exprimit omnes homines distributive, non collective, et supponit pro omnibus et singulis absque ulla exceptione: ac proinde quicumque novit veritatem hujus propositionis, apprehendit in universali subjecto individua prorsus omnia distributive.

(1) Cfr. Card. Aguirre, loc. num. 39, 40

Ad probation., *neg. parit.*, quia cum non solum per collectivam cognitionem, sed etiam per distributivam cognosceant omnia sine ulla exceptione; ex eo quod Deus non cognoscat omnia possibilis collective seu tamquam partes unius collectionis determinatæ et completæ. non sequitur quod illa non cognoscat distributive.

Dices. 3.^o Si Deus cognoscit possibilis omnia tantum distributive, et non per modum unius collectionis determinatæ, non scit, quod ea, quæ cognoscit sint omnia quotquot sunt possibilis: quod nefas est cogitare. Sane si quis bellidux suos milites non cognoscat per modum collectionis, sed tantum distributive, non cognoscit, quod sint prorsus omnes; atque adeo poterit quidem dicere: *Petrus adest, Paulus adest* etc.; sed non poterit dicere: *Omnes nemine excepto, adsunt*. Ergo a pari Deus si non cognoscat possibilis omnia collective, non poterit dicere: *Hæc quæ cognosco, sunt omnia quotquot dantur possibilis*.—**Resp. neg. Major.** et paritatem exempli adducti in ejus probatione. Collectio militum cognoscibilis est in se, utpote finita et valde limitata; quamobrem vel defectus attentionis applicationisve objecti vel imperfectio intellectus est in causa, cur belli dux illam non cognoscat, et consequenter nequeat scire num milites, quos videt, sint omnes quotquot exercitum suum componunt, supposito quod non aliud ei medium suppetat id cognoscendi. At possibilium omnium dari collectio una determinata et completa nequit, atque adeo Deus non videt possibilis collective, sed tantum distributive. Et nihilominus scit perfectissime præter ea, quæ videt, nullum aliud possibile esse, tum quia comprehendit adequate suam omnipotentiam, ac proinde terminos omnes, ad quos potest illa se extendere; tum quia novit nihil scientiam suam posse effugere, et sic videns illa omnia, quæ in eadem relucent tamquam possibilis, nihil præterea possibile esse certissime intelligit.

Objic. 2.^o Si omnia et singula possibilis cognoscuntur a Deo; etiamsi non cognoscantur collective, sed tantum distributive, jam existit in mente divina infinitum categorematicum, saltem materialiter. Atqui in ejusmodi infinitum eodem jure retorquentur argumenta contra infinitum

categorematicum superius facta. Ergo frustra laboramus distributivam possibilium omnium Deo cognitionem asserentes, collectivam negantes. Major probatur exemplis. Nam lupus quia cognoscit omnes partes ovis, quamvis non cognoscat cognitione comparativa aut collectiva, tamen cognoscit materialiter totam ovem; item videns omnia ædificia urbis, etsi ea non videat comparando inter se, aut per modum unius collectionis, tamen videt, saltem materialiter, totam urbem.

Resp. neg. Major. Illud totum dicitur materialiter cognosci, quod realiter constituitur ex partibus quibusdam, quæ vere cognosceantur per cognitionem non comparativam earum ad se invicem. Et propterea lupus dicitur videre totam ovem, ac videns omnia urbis ædificiat, videt materialiter totam urbem. At infinitum categorematicum cum sit chimericum, non est totum realiter constitutum ex possibilibus, tamquam ex partibus. Quare licet partes videantur distributive, non sequitur, quod videatur totum, etiam materialiter.

Objic. 3.^o Ideo negatur possibilis videri per modum collectionis, quia non possunt simul omnia existere, sed tantum successive. Atqui hoc non sufficit ad negandum possibilis cognosci a Deo negative. Nam etiam dies v. g. unius anni nequeunt existere nisi successive, at nihilominus possunt omnes videri simul, non tantum ex parte videntis, sed etiam ex parte objecti seu collective.

Resp. neg. Major. Ratio enim, cur possibilis omnia nequeant videri collective, non est solum quod non possint existere simul, sed quod nec successive possunt omnia prorsus in existentiam venire complete ita, ut verum aliquando futurum sit in aliquo puncto æternitatis, nihil aliud jam remanere, quod possibile sit. Ideo Deus non potest videre possibilis reducta ad unam collectionem completam et plene actuam; quia quascumque collectiones determinatas videat, cognoscit non omnia possibilis ibi contineri, sed plura et plura absque ullo fine adhuc addenda esse, quia nec æternitas finem habet, nec intrinseca rerum factibilium possibilitas, nec divina omnipotentia limitem ullum agnoscit per totam æternitatem, et consequenter nec Dei scientia videre potest ullam multitudinem possibilium vel factibilium actu clausam vel completam et ad exitum ductam.